

Sermones de pace

[Page 187]

I

Fiat pax in virtute tua . Ps. [121,7].

Sine virtute Dei verbum Dei non possemus cogitare, iuxta illud
II Cor . 3[5] "Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi
ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est". Item sine virtute Dei non
possemus cogitata proferre, iuxta illud Ps . [67,12] "Dominus dabit
verbum evangelizantibus virtute multa" . Item sine virtute Dei non possemus
prolata virtuosa facere, iuxta illud Ps . [67,34] "Dabit voci sue
vocem virtutis". Et ideo etc.

Fiat . Verbum est prophete David ad Deum et potest accipi ut verbum
totius processioni ad Christum; ubi tanguntur tria que conveniunt
huic processioni, scilicet precatio quia *Fiat* , concordatio quia *pax* , origo
quia *in virtute tua* : priego, accordo e(t) nascimento. Primum est in voce
et debet esse in corde, secundum est in intentione, tertium est in ratione.
Circa primum nota quod oratio presens ostenditur esse efficax ad
impetrandum quadruplici ratione, scilicet ratione sanctitatis orantium.
"Multum enim valet oratio iusti", ut dicitur *Iac* . ultimo [= 5,16], sed
oratio peccatoris non valet sed nocet, non proficit sed officit, iuxta illud
Gregorii "Cum is qui displicet" etc., et *Io* . 9[31] "Deus peccatores
non audit" quia "qui declinat aurem suam" etc., ut dicitur *Prov* .
28[9]. Secundo ratione multitudinis quia plus possunt duo quam unus,
iuxta illud *Mt* . 18[19] "Si duo ex vobis" etc.; multo magis tres et
decem et centum et mille etc.; unde et orat ecclesia "Multiplicatis intercessoribus
largiaris". Tertio ratione unitatis quia multa non sunt potentiora
paucis nisi in quantum multa aliquo modo uniuntur. Mille enim
milites sunt potentiores duobus milibus militum si mille ab aliis mille
sint diversi animi. Item si quis impingat lancea militem ab anteriori et
alius a posteriori, vel unus a dextris et alius a sinistris, minus potest
quam unus solus impingens. Unde virtus unita est fortior se ipsa dispersa,[Page 188]

ut dicitur in libro *De causis* , quod apparet per multa exempla. Quarto
ratione clamoris, iuxta illud Ps . [119,1] "Ad Dominum cum tribularer
clamavi et exaudivit me", et iterum [141,2] "Voce mea ad Dominum
clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum" . Hac autem voce non
indiget propter Deum, quia ipse videt cor, nec clamore indiget propter
eum quia ipse habet optimum auditum et est nobis propinquior quam
nos ipsi, secundum Augustinum; sed indiget eo propter nos, ut scilicet
devotio magis crescat in corde nostro, quia, sicut dicit Augustinus *Ad
Probam* , "Ex verbis et aliis signis mens nostra acrius excitatur". In ista
autem processione sunt boni, scilicet religiosi et sacerdotes etc., et multi
de omnibus, et unum in volendo pacem et fortes clamores ferunt; et ideo
sperandum est quod pacem impetrabit.

Circa secundum nota quod omnis homo intendit pacem, secundum
Augustinum et Dyonisium, sed quidam pacem veram, quidam apparentem
et falsam, sicut contingit de bono. Unde illi qui delectantur in bellis,
faciunt propter pacem falsam honoris, et sic de aliis peccatoribus; Ysa .
48[22] "Non est pax impiis". Pax enim est "ordinata concordia", ut
dicit Augustinus *De civitate Dei* libro XIX.

Circa tertium nota quod ratione debet discernere quod omne bonum
creatum originatur a summo bono increato, iuxta illud *Iac* . 1,[17]
"Omne datum" etc. Unde pax, que est tantum bonum ut contrario
queratur, ut dicit Augustinus et Philosophus, non potest esse nisi virtute
Dei per quam omnis discordia potest concordari et omnis inimicitia pacificari,
quantumcumque sit ex parte unius excellens potentia vel gravis
offensa vel diuturna inimicitia, quia virtute Dei per sanguinem Christi;
per hunc Deus superpotentissimus, cuius minima offensa excedit omnem
offensam omnis creature, plus quam per quinque milia annorum inimicus
hominis existens, pacificatus est cum homine, iuxta illud *Col* . 1[20] "Pacificans
per sanguinem crucis eius sive que in celis sive que in terris sunt".
Et ideo nullus debet desperare quin virtute Dei, meritis sanctarum precum,
omnis guerra possit pacificari, et hic imperfecte in via et tandem perfecte
in patria. Ad quam pacem etc.

II

Potestas et terror apud eum est qui facit concordiam in sublimibus suis . Iob 25[2] .

Require supra ad priores civitatis.[Page 189]

III

Habete in vobis sal et pacem habete inter vos . Mr. 9[49].

Ad hoc quod congregatio possit veram pacem habere, precipue indiget sale discretionis, ut scilicet frater subditus vel prelatus sciat discernere inter locum et locum, inter tempus et tempus, inter personam et personam, inter modum et modum, inter causam et causam; quia aliquid est faciendum in uno loco et tempore et uni persone et uno modo et in una causa quod non esset faciendum in alio loco tempore et alii persone et in alio modo et in alia causa. Equalitatem enim servare in istis secundum quantitatem, esset servare inequalitatem secundum proportionem, sine qua vera pax esse non potest, iuxta illud Ysa . 32[17] "Erit opus iustitie pax".

Item oportet quod sciat discernere inter naturam et culpam, inter vitia et personas, inter homines et demones, inter Deum et creaturam vel mundum, inter conscientiam et famam. Pax enim debet haberi cum natura non cum culpa, cum personis non cum vitiis, cum hominibus non cum demonibus, cum Deo non cum mundo, cum conscientia non cum fama contra conscientiam, iuxta illud [Ps . 17,38-39] "Persequar inimicos meos et comprehendam illos et non convertar donec deficiant; confringam illos nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos". Unde prelatus maxime debet bellare contra vitia que committuntur in domo et extra domum, sive sit in choro etc.; et si aliquid vitiose petitur, non debet exaudire etiam ab amicissimo; unde Tullius in libro *De amicitia* : "Hec igitur lex in amicitia sancitur ut nec rogemus res turpes nec faciamus rogati".

Vel dicas quod sal habet triplicem naturam: scilicet mordicativam, scilicet conscientie; conservativam, scilicet per studium sacre scripture; et conditivam, scilicet per discretionem vite et maxime lingue.

IV

Qui posuit fines tuos pacem ex adipe frumenti satiat te . Ps. [147,14].

Ostendit pacis optimitatem quia *Qui posuit fines tuos pacem* , et utilitatem quia *ex adipe frumenti satiat te* .

Circa primum nota quod finis est optimum in unoquoque, secundum Philosophum, quia nec ea que sunt ad finem habent bonitatem in quantum huiusmodi nisi a fine. Dicit autem "fines" in plurali quia finis congregationis temporalis, puta civitatis vel castri vel ville vel hospitii, est pax temporalis. Unde rector nullo modo debet consiliari de pace sicut neque medicus de sanitate, sicut dicitur in III *Ethicorum* , quia scilicet pax sine omni consilio est procuranda. Et similiter finis congregationis spiritualis, puta religionis, est pax spiritualis.

Circa secundum tangit quadruplicem utilitatem, scilicet temporalem quia *ex adipe frumenti satiat te* , idest delicate et habundanter pascit, quia ille qui implet omne animal benedictione est in medio congregatorum[Page 190]

in pace, iuxta illud Mt . 8 [= 18,20] "Ubi duo vel tres sunt congregati in nomine meo" etc. Est autem nomen suum "princeps pacis", ut dicitur Ysa . 9[6]. Quando autem pax non est in congregatione non satiatur sed frequenter defectum patitur, quia parum est sollicitus frater procurare pro comuni, immo aliquando forte impedit; persone etiam dature retrahunt manum quia parum de discorditer loquentibus edificantur; et Deus etiam hoc facit in patria. Unde defectus accidit tum ex parte collegii tum ex parte populi tum ex parte Dei. Unde in Ps . [67,31] "Dissipa gentes que bella volunt"; non dicit "faciunt", quia aliqui coguntur facere ea malitia adversariorum.

Secundo sacramentalem. Corpus enim Christi nonnisi de pane frumenticeo confici potest, quod quidem est propria materia huius sacramenti.

Dicit autem *ex adipe satiat* quia, sicut dicit Magister libro IV *Sententiarum* dist. 9, "caro Christi interiorem hominem pre ceteris gratiis reficit et saginat". Est autem utilitas sacramenti quando quis assequitur rem sacramenti, scilicet gratiam, vel augmentum gratie. Quando autem non est pax conscientie, non satiatur sed venenatur, iuxta illud Iob 20[14] "Panis eius in utero eius vertetur in fel aspidum".

Tertio spiritualement, scilicet verbi Dei, et ideo subdit [Ps . 147,15] *qui emicitt* etc. Ubi tangit utilitatis huiusmodi principium quia predicatur habunde et diffuse, et effectum quia convertuntur peccantes ex impotentia ignorantia et malitia, sicut patet ex sequentibus verbis psalmi. Quando autem non est pax in conscientia cor tepescit, pes pigrescit, lingua tremit predicare nec ei creditur ab auditore; unde non satiatur sed evacuatur vel stomachatur.

Quarto celestem, quia "Beati pacifici", ut dicitur Mt . 5[9], "quia filii Dei vocabuntur". Quando autem non est pax non satiatur sed privatur

ista visione, iuxta illud *Hebr* . 12[,14] "Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum". "Non est autem pax impiis, dicit Dominus", ut dicitur *Ysa* . 48[,22]. Per misericordiam autem fit de impio plus. Et ideo etc.

V

Pax Dei que exuperat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias vestras . *Philip*. 4 [,7].

Ego ad tempus recessurus sum a vobis, cito - dante Domino - rediturus. Quod igitur in verbo proposito Apostolus optat Philipensibus, hoc ego opto vobis omnibus.

Primo quidem pacem quia *Pax*, sine qua nullum potest esse bonum in congregatione.

Secundo pacis veritatem quia *Dei* . Pax enim hominum ubi Deus - qui veritas est - non est, necessario falsa est, quia "omnis homo mendax", ut dicitur in *Ps* . [115,11], et iterum [102,14] "Ipse cognovit figmentum nostrum"; et ideo dicitur *Ezech* . 13[,10] "Dixerunt pax pax et non est pax".

Tertio pacis substantialitatem quia *que exuperat omnem sensum* scilicet humanum. Qui enim innituntur sensui humano veram pacem[Page 191]

habere non possunt, quia "ipse Deus est pax nostra", ut dicitur *Eph* . 2[,14]. Unde frequenter contingit de hominibus quod cum omnia argumenta humana adinvenierint ad quietam et pacificam vitam habendum, et ipsi ex pluribus partibus inveniunt sibi bella et litigia pullulare.

Quarto pacis utilitatem quia *custodiat corda vestra* scilicet quantum ad appetitum boni, *et intelligentias vestras* scilicet quantum ad cognitionem veri; que duo utilissima sunt homini quia sine ipsis salus haberi non potest nec ipsa duo sine pace, per quam vires anime ordinantur et in se ipsis et respectu obiectorum suorum.

Ego dimicto suppriorem vicarium meum etc.

VI

Qui posuit fines tuos pacem et adipe frumenti satiat te . *Ps*. [147,14], et cantabitur hodie in vespers. Tanguntur autem duo in verbo proposito ad comunione pertinentia; quorum primum est pacis preambulum quod ad comunione exigitur quia *Qui posuit fines tuos pacem* ; secundum est comunione sacramentum quod sumendum indicitur quia *et adipe frumenti satiat te* .

Circa primum propheta tangit tria, scilicet pacis actorem quia *Qui* scilicet Deus et Dominus de quo prelocutus fuerat; unde *Ysa* . 45[,7] "Ego Dominus faciens pacem", et in *Ps* . [121,7] "Fiat pax in virtute tua". Secundo tangit pacis ordinem quia *posuit* . Positio enim includit ordinem, iuxta illud *Sex principiorum* "Positio est quidam situs partium et generationis ordinatio". Quando enim res non sunt ordinate secundum exigentiam sue nature pacem non possunt habere, puta quando gravia ascendunt sursum, scilicet terra et aqua - ex hoc enim causantur tempestates in aere, scilicet venti grandines tonitrua fulgura et huiusmodi - vel quando levia descendunt deorsum, puta quando aer detruditur in terra - ex hoc enim causantur tempestates in terra, scilicet terre motus. Unde et Augustinus dicit in libro XIX *De civitate Dei* quod "pax est hominum ordinata concordia". Unde quia peccatum est privatio modi speciei et ordinis, sicut dicit Augustinus . . . , inde est quod nullus peccator potest habere veram pacem, iuxta illud *Ysa* . 48[,22] "Non est pax impiis, dicit Dominus"; et quia "initium omnis peccati superbia", ut dicitur *Eccli* . 10[,15], inde est quod specialiter in *Prov* . 13[,10] dicit Salomon de superbis quod inter eos "semper sunt iurgia". Et quia superbia maxime apparet in appetitu dominii, inde est quod Augustinus dicit in *Glosa* super *Ps*. [1,1] quod cathedra pestilentie est amor dominii. Tertio tangit pacis optimitatem quia *fines tuos* . Finis enim est optimum in unoquoque, secundum Philosophum. Sed dicit "fines" in plurali quia ordo quidam est in finibus; pax enim temporis, licet et ipsa sit finis, tamen ulterius ordinatur sicut ad finem ad pacem pectoris, et pax pectoris ad pacem eternitatis. Pax ergo pectoris est illud preambulum quod ad comunione exigitur, sine qua ad sacramentum istud accedens "iudicium[Page 192]

sibi manducat et bibit", quia "in pace factus est locus eius", ut dicitur in *Ps* . [75,3].

Circa secundum tangit duo, scilicet huius sacramenti materiam quia *frumenti* ; non enim confici potest nisi in pane frumenticeo. Secundo tangit huius sacramenti efficaciam duplicem. Quarum una est quia reficit mentem delicate quia *adipe* ; unde *Ierem* . 31[,14] "Replebo animas sacerdotum pinguedine". Sacerdos enim esse debet qui hoc conficit sacramentum. Secunda est quia reficit mentem habunde quia *satiat te* ; "caro enim Christi interiorem hominem pre ceteris gratiis reficit et saginat", ut dicit Magister in libro IV *Sententiarum* dist. 9. Qui autem sine pace conscientie accedit, comedit quidem sed non satiatur sed potius evacuatur,

iuxta illud Ysa . 9.d [= 9,20] "Comedet ad sinistram et non saturabitur"; non inpinguatur sed potius attenuatur. In cuius figuram dictum est II Reg . 13[,4] ad Annon - qui interpretatur gratis iniquus - "Quare sic attenuaris macie?".

Ut ergo melius possimus habere pacem conscientie, vos absolvetis me et ego absolvam vos.

VII

In pace sunt ea, vel omnia, que possidet . Lc. 11[,21].

Licet istud verbum dicatur de diabolo et pace falsa peccatorum, iuxta illud Ps . [72,3] "Pacem peccatorum videns", que in veritate non est pax sed potius bellum, iuxta illud Ierem . 8[,11] et Ezech . 13[,10] "Dixerunt pax et non est pax", et Sap . 14[,22] "In magno viventes inscientie bello, tot et tam magna mala pacem appellant", tamen verificari potest de Deo et pace vera, ad quam quidem faciendam Filius Dei venit in mundum; unde ipso nato angeli cecinerunt Lc . 1 [= 2,14] "Gloria etc., pax hominibus bone voluntatis". Convenit autem istud verbum et faciendo comunioni et fraterne congregationi. Nullus enim debet communicare nisi, in vera pace existens, possideatur a Salvatore; quia "In pace factus est locus eius", ut dicitur in Ps . [75,3]. Vera autem pax non potest esse cum peccato mortali, iuxta illud Ysa . 48[,22] "Non est pax impiis, dicit Dominus", sed est in solis iustis, iuxta illud Sap . 3[,9] "Pax est electis Dei". Et ideo qui accedit ad comunicandum cum conscientia peccati mortalis accedit ad illud in iudicium sue dampnationis, iuxta illud I [Cor .] 11[,29] "Qui manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit". Et ideo debet prius se purificare ut in vera pace existens digne possit communicare, iuxta illud Ps . [147,14] "Qui posuit fines tuos pacem ex adipe frumenti satiat te"; Glosa : pane qui de celo descendit.

Secundo etiam convenit fraterne congregationi, cuius summum bonum[Page 193]

est pax et sine qua congregatio non potest bene esse nec bene vivere; propter quod Salvator noster frequenter dixit congregationi apostolorum "Pax vobis", et docuit habere, Mt . 10[,12] et Lc . 10[,5] "Pax huic domui".

Hanc autem pacem in congregatione causant multa. Et primo quidem et principaliter, per modum perficientis, mutua dilectio, sicut artifex facit domum et sicut ignis calefacit, iuxta illud Ps . [118,165] "Pax multa diligentibus". Secundo per modum conservantis - sicut dieta facit sanum - patientia in adversis, iuxta illud Ysa . 38[,17] "Ecce in pace amaritudo mea amarissima"; impatiens enim ad quodlibet verbum et factum non potest habere pacem. Tertio per modum sustentantis - sicut fundamentum facit edificium firmum - humilitas, de qua dicit Augustinus "Cogitans magnam fabricam erigere celsitudinis, de fundamento cogita humilitatis"; unde in Ps . [121,7] "Fiat pax in virtute tua" idest in humilitate, que est propria virtus Christi, iuxta illud Mt . 11 [,29] "Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris". Superbus enim et ambitiosus non potest habere pacem, iuxta illud Prov . 13[,10] "Inter superbos semper sunt iurgia"; et Bernardus: "O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torques et omnibus places!".

Quarto per modum dirigentis - sicut dux exercitus facit victoriam - discretio seu prudentia, maxime in prelato; unde Mr . 9[,49] "Habete in vobis sal et pacem habete inter vos", et Lc . 1[,79] "Illuminare etc. ad dirigendos pedes nostros in viam pacis". Qui enim non discernit inter personam et personam, inter locum et locum, tempus et tempus, modum et modum, causam et causam, non potest habere pacem. Quinto iustitia per modum removens prohibens, sicut divellens columpnam facit moveri lapidem deorsum, iuxta illud Ysa . 32[,17] "Erit opus iustitie pax". Iniurie enim non permittunt haberi pacem. Sexto per modum subtrahentis materiam litigii - sicut excecatio et fuga facit continentem vel sicut subtractio lignorum extinguit ignem - studium et solitudo, iuxta illud Ps . [54,7] "Quis debet michi pennas" etc. Qui enim est in turba oportet quod turbetur, iuxta illud Io . 17[= 16,33] "In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem", et Lc . 10[,41] "Martha etc., et turbaris" etc.

VIII

Vel dic: Scriptum est Mr . 5[,34] quod dixit Iesus ad mulierem sanguifluam duodecim annis *Vade in pace et esto sana a plaga tua* . Ubi innuitur quod ita se habet pax ad corpus methaforicum civitatis vel cuiuscumque societatis seu congregationis sicut se habet sanitas corporalis ad corpus phisicum.

Et dicamus quod primo et principaliter facit pacem discretus rector ad modum sapientis medici, iuxta illud Ysa . 9[,6] "Princeps pacis". Secundo obedientia subditorum ad modum obedientium infirmorum, sine qua non valeret quantacumque prudentia regentis vel medicantis;[Page 194]

unde Ysa . 48[18] "Utinam attendisses mandata mea! Facta fuisset sicut flumen pax tua", et Ysa . 58[13] "Si averteris facere voluntatem tuam vocaberis sabbatum delicatum" idest requies delitiosa; et *Iob* 9[4] "Quis restitit ei et pacem habuit?", et *Prov* . 21[28] "Vir obediens loquetur victorias", ad quas scilicet sequitur pax, iuxta illud Augustini libro *De civitate Dei* "Victoria est subiectio repugnantium quod, cum factum fuerit, pax erit". Exemplum Augustini libro V *De civitate Dei* de rege decapitante filium licet victorem quia contra odedientiam dimicavit. Tertio dilectio ad modum ignis seu incendii vel caloris naturalis, iuxta illud *Ps* . [118,165] "Pax multa diligentibus legem tuam"; qua scilicet precipis ut Deus super omnia diligatur, deinde bonum comune, deinde proximi magis coniuncti, quia "non est pax impiis", Ysa . 57[21]. Quarto probatio dilectionis per opera ad modum signi urinalis vel pulsus etc., ut scilicet honoretur Deus in ecclesiarum magnarum fabricis, in personarum ecclesiasticarum beneficiis etc., et honoretur comune in braviis, in excellentibus officialibus etc., et subveniatur religiosi pauperibus et aliis indigentibus ex publicis statutis. Unde et Salomon, qui interpretatur pacificus, construxit honorabile templum Deo, *III Reg* . 6; et *Exo* . 32[6] "Obtulerunt hostias pacificas" . Exemplum de sancto Ludovico rege Francorum qui asserebat pacem esse in regno suo propter elemosinas quas faciebat. "Probatio enim - idest signum probabile - dilectionis exhibitio est operis", sicut dicit Gregorius. Quinto forte munimen murorum armorum statutorum et huiusmodi contra adversarios et malefactores ad modum munimenti corporalis contra intemperiem aeris, puta vestimentorum, domorum et huiusmodi; unde *Lc* . 11[21] "Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia que possidet". Sexto patientia in laboribus impositis pro bono comuni, in contumeliis interdum illatis et in iniuriis aliquando factis, ad modum exercitii et incisurae et purgationis amare, sicut etiam quidam cibi, et carniarum et piscium, verberibus fiunt sani homini; unde Ysa . 38[17] "Ecce in pace amaritudo mea amarissima". Septimo abstinentia a ludis taxillorum et potibus tabernarum et huiusmodi, propter que frequenter homines turbantur ad invicem, quia "tumultuosa res est ebrietas", ut dicitur *Prov* . 20[1], et 23[29-30] "Cui ve? etc. Nonne hiis qui morantur in vino?" etc., ad modum dietae; unde *Cant* . 8[11] "Vinea fuit pacifico", non dicit "taberna" sed "vinea" scilicet propria ad vinum colligendum vel aliena ad vinum emendum. Octavo humilitas animorum contra tumorem ambitionis ad modum emplastri vel ad modum clisteris per quem remittitur ad considerationem stercorum. Vide supra. Nono iustitia ad puniendum malos in pecunia ad modum flebothomie, vel in persona expellenda ad modum purgationis humorum vel interficienda[Page 195]

ad modum abscisionis membri, et promovendum bonos ad modum diversitatis ciborum secundum diversas complexionem. Exemplum in Valerio. Unde ista faciunt sanum: medicus sapiens, infirmus obediens, calor ad naturam rediens, signum ostendens, munimen defendens, medicina affligens, dieta subtrahens, clistere emictens, proportio correspondens: meince simua diclipro. Unde primum accipitur ex parte medici, secundum ex parte infirmi, tertium ex parte caloris innati, quartum ex parte signi, quintum ex parte munimenti, sextum ex parte medicamenti; et hoc quadrupliciter: uno modo per sumptionem amarorum, secundo modo per amotionem vel ablationem dulcium vel saporum, tertio modo per eiectionem fetidorum, quarto modo per observationem omnium circumstantiarum scilicet temporis loci persone etc.

IX

Si dormiat inter medios clericos, penne columbe deargentate et posteriora dorsi eius in pallore auri. Dum discernit celestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon . *Ps*. [67,14-15]. Modo convenimus, patres et fratres karissimi, ad reformandum pacem inter nos fratres Predicatores et vos clericum florentinum. Et ideo proposui verbum prophete David quod satis videtur huic materie convenire. Primo enim tangit clericum quia *Si dormiat inter medios clericos* , secundo tangit ordinem fratrum Predicatorum quia *penne columbe deargentate* , tertio tangit utriusque sustentamentum quia *et posteriora dorsi eius in pallore auri* , quarto tangit utriusque gradum quia *Dum discernit celestis reges super eam* , quinto tangit utriusque famosum reconciliamentum quia *nive dealbabuntur in Selmon* .

Circa primum et secundum nota quod secundum *Glosam* columba est ecclesia, iuxta illud *Cant* . 6[8] "Una est columba mea". Quod enim una sit, articulus est fidei iuxta illud *Simboli* "Et in unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam". In ista columba aliqui sunt pedes sicut activi, iuxta illud *Ps* . [121,2] "Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem", que scilicet ecclesiam significat. Alii vero sunt penne

sicut contemplativi, iuxta illud *Ps* . [54,7] "Quis dabit michi pennas sicut columbe et volabo et requiescam?", et iterum [103,3] "Qui ambulas super pennas ventorum". Alii vero sunt penne deargentate, *Glosa* : "idest divinis eloquiis erudite", sicut mixti idest predicatorum qui, sicut dicit Gregorius, "oportet quod in contemplatione sorbeant quod in predicatione effundant"; unde in *Ps* . [11,7] "Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum". Hoc autem specialiter congruit fratribus ordinis Predicatorum qui sunt predicatorum non solum re sed etiam nominis appropriatione. Sunt ergo et penne et pedes. Unde et de predicatoribus dicitur *Ezech* . 1[6-7] "Quatuor penne uni et pedes eorum pedes recti, et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli"; Gregorius[Page 196]

super hoc: "Non enim facile sermo predicatoris accipitur si levis in moribus esse videatur". Sit ergo sermo ad eos in casu vocativo "O penne deargentate columbe" idest "O fratres Predicatores *si* " etc.; ubi nota quod ista coniunctio conditionalis "si" aliquando supponit debitum rationis, ut ibi *Io* . 8[31] "Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis", quasi dicat "quia manere debetis"; et in *Ps* . [94,8] "Hodie si vocem eius audieritis", quia scilicet audire debetis. Et similiter accipiat hic "O vos fratres Predicatores, si dormiatis inter medios clericos" idest cum clericis et in medio eorum, vel qui debent esse medii idest virtuosus, quia scilicet dormire debetis. Dormire, inquam, idest hospitari cum eis sicut mendici, quos vivere oportet de bursis fidelium et laicorum et clericorum, scilicet comedendo et bibendo cum eis et iacendo in lectis eorum. Post cibum enim et potum sequitur dormitio, iuxta illud *Cant* . 5[1-2] "Comedi etc. bibi" etc., et sequitur post: "Ego dormivi"; unde *Amos* 6[4] "Dormitis" idest dormire debetis "in lectis eburneis" idest castis idest in lectis clericorum, qui debent esse casti non solum obligati ad hoc ex precepto divino sed etiam ex proprio voto annexo sacro ordini in ecclesia occidentali. Item debetis dormire cum clericis idest quiescere sicut quieti pacifici, iuxta illud *Ps* . [4,9] "In pace in idipsum dormiam et requiescam". Et clerici enim et predicatorum inermes incedere debent quasi non homines bellicosi sed pacifici, nisi bellando contra vitia cum armis spiritualibus virtutum et orationum et verborum divinorum. Item debetis dormire cum clericis idest secure conversari sicut amici, iuxta illud *Iob* 11[18] "Securus dormies", et *Ezech* . 34[25] "Dormietis securi in saltibus". Specialis enim amicitia et caritas consuevit esse inter fratres et clericum et hic et ubique quasi communiter. Unde et Bisuntii canonici maioris ecclesie locum nostrum edificaverunt, et prior noster habebat vocem in electione archiepiscopi sicut unus canonicus, quousque quidam prior ex conscientia renuntiavit. Et ideo quantum ad tertium subditur *et posteriora dorsi eius in pallore auri*, *Glosa* : idest in caritate "per quam omnis sarcina mandatorum fit levis"; et propter hoc premittitur *posteriora dorsi eius* idest dorsum eius quod est a parte posteriori columbe. Dorsum enim, secundum Ysidorum libro XI *Ethimologiarum* , a duritie dictum est eo quod sit forte ad portandum et ad patiendum durabile. "Caritas enim patiens est et omnia suffert", ut dicitur I *Cor* . 13[4,7]. Sicut enim aurum excellit omnia metalla ita caritas excellit omnes virtutes, que scilicet dicitur habere pallorem idest timorem, ponendo effectum pro causa. Quanto enim quis plus habet de caritate tanto plus habet de filiali timore, qui respicit offensam non penam, sicut timor servilis; unde poeta "Res est sollicita plena timoris amor". Vel certe quia amor ad Deum facit ad literam pallere per penitentiam corporis et afflictionem et facit pallere et languere ex absentia amati, iuxta illud "Palleat omnis amans", et *Cant* . 2[5] et 5[8] "Amore languet" . Ubi nota quod omnia mala que proveniunt[Page 197]

amanti causantur ex absentia amati, quia ipsum amatum est totum bonum amantis. Amor itaque in absentia amati primo infert amanti malum vulneris, iuxta illud *Cant* . 4[9] "Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa" etc. Secundo infert amanti malum languoris dum scilicet absentia continuatur, iuxta illud *Cant* . 2[5] et 5[8] "Amore languet", scilicet habendo concavitatem in oculis mentis idest humilitatem intellectu et affectu, et in oculis corporis per fletum et vigilias - unde et columba habet planctum pro cantu -, et habendo caliditatem carnis interioris methaforice idest mentis fervorem, et exterioris propter continuum exercitium et laborem, et habendo insipiditatem cibi per ieiuniorum asperitatem; et iterum quia "gustato spiritu desipit omnis caro", sicut dicit Gregorius, ad quem sequitur pallor. Tertio infert amanti malum interfectionis vel mortis, iuxta illud *Cant* . 8[6] "Fortis est ut mors dilectio", dum scilicet amans cor suum ab omni alia re ab amato funditus separat, et totam vitam suam ponens in amato per absentiam amati dicitur mori. Unde amor omnique interficit quia amor nichil aliud est quam separatio coniunctorum, ut potest haberi ex 7° cap. *Ecclesiastice ierarchie* . Alia tamen litera, ut dicit *Glosa* , habet "in virore". Iste enim pallor corporis procedit

ex virore mentis idest ex radice caritatis, quia, sicut dicit Gregorius,
"nichil habet viriditatis ramus boni operis nisi manserit in radice caritatis".

/*

Circa quartum nota quod ex discernentia celestis, idest Christi secundum
Glosam , reges idest clerici et fratres Predicatores constituti sunt
super columbam idest super ecclesiam, scilicet ut ponatur totum pro parte,
secundum regulam Ticonii quam ponit Augustinus in libro "*De
doctrina christiana* . Clerici enim et sacerdotes reges sunt et ad modum
regum coronati, iuxta illud I *Pet* . 2[9] "Vos autem genus electum, regale
sacerdotium"; maxime summus sacerdos qualis est dominus episcopus in
sua diocesi, ut ei bene conveniat illud quod cantatur in honorem beati
Germani, cuius festum est hodie, scriptum *Eccli* . 44, "Ecce sacerdos
magnus qui in diebus suis placuit Deo et inventus est iustus et in tempore
iracundie factus est reconciliatio", scilicet per suum studium et conatum
et per suum auxilium et affatum, ut scilicet melior et pulcrior sit pax per
reconciliationem quam esset ante dissensionem et turbationem; sicut
sciphus de maçero pulcrior et melior reputatur quando, fissus, est religatus
filis argenteis quam esset ante fissionem; unde et propter hoc gallici studiose
findunt eum ne nimis ingrossetur. Fila argentea sunt verba domini
episcopi, iuxta illud *Prov* . 10[20] "Argentum electum lingua iusti".[Page 198]

Ingrossatio autem est mentis elatio que ex tali scissura attenuata est.
Pannus etiam tunice fratrum Predicatorum fortior est sutura ubi cesio
panni fuit quam in alia parte panni que non fuit incisa. Sic reconciliatio
post scissuram erit pax fortior et durabilior. Bene ergo reges sunt episcopi,
immo et super reges; unde et beatus Ambrosius legitur dixisse Theodosio
imperator "In ecclesia ego sum dominus et tu es sicut unus de plebe".
Reges etiam et super reges sunt fratres Predicatores. Dum enim predicant
regibus, reges de populo computantur quia per predatores reguntur;
unde *Glosa* dicit "Reges idest rectores".
Circa quintum nota quod ad magnam infamiam apud vulgus cedit ista
discordia inter clerum et fratres qui deberent discordantes laicos concordare.
Infamia vero denigratio fame vocatur, iuxta illud Arrigetti:
Quem semel horrendis maculis infamia nigrat
ad bene tergendum multa laborat aqua.
Restitutio autem fame vocatur dealbatio, que quidem fit per reconciliationem
et pacem, et ideo dicit quod utrique reges "nive dealbabuntur in
Selmon", quod scilicet interpretatur pax. Nichil enim est albius nive;
immo et in *Ps* . [50,9] dicitur alibi "Lavabis me" scilicet tu, domine
episcopo, aqua sapientie, "et super nivem dealbabor", quia scilicet maior
erit fama de bona reconciliatione quam esset ante scissionem.
Quam nobis etc.

[Home](#)

Remigius Florentinus (Remigius Girolami). Date: 2003-07-11
